


A.



Littera prima est Alphabeti in omni-
bus linguis. *Insuavisissima litteram ob-*
sonum vocat Cic. in Oratore c. 49.
¶ Interdum est littera numeralis, quæ
quingenta designat, ut ceteræ alpha-
beti litteræ alios numeros, de quibus
suis locis. Vide antiquum codicem de
notis numerorum adjectum *Probo pag.*
1683. *Putsch.* Porro eidem litteræ A si
recta linea superaddatur, quinque mil-
lia significat. ¶ A. puncto postposito
prænomen significat, ut A. *Cacina*,
Aulus Cacina. ¶ A item, sicut reliquæ

litteræ, ponitur interdum sola pro tota dictione, cujus est ini-
tium, ut A. A. A. Auro, Argentum, Ære. ¶ Sed multa præterea
significare potest sive sola sit, sive aliis litteris adjecta, ut est
apud *Ursatum de Notis Roman.* Illud tamen hoc loco omittendum
non est, A in judiciis usurpatam fuisse pro *Absolvo*. Itaque *Pedi-*
dianus in Divinat. cap. 7. In causis majoribus, inquit, universi ju-
dices in cistam tabulas conjiciebant suas, easque insculptas litte-
ras habentes A *Absolutionis*, C *Condemnationis*, N. L. *Ampliationis*.
Qua de re latius *Briffonius de formul. l. 5.* Hinc dicitur littera sa-
lutaris a *Cicerone pro Mil. c. 6.* C vero *tristis*. In Comitibus autem
legum, in quibus suæ cuique de populo tabellæ tradebantur, in-
sculptas litteras habentes A, & U. R. A Antiquo, h. e. *respon-*
abrogo; & U. R. Uti rogas, h. e. *consentio*, approbo, significabant.
A, AB, ABS, præpositiones, quæ cum sexto casu adhibentur, &
significant Italice *Da*, Græcè *ἀπό*. Significatione nihil differunt,
differunt autem solummodo in modo adiciendi. A enim adicitur
iis vocibus tantum, quæ incipiunt a consonante, ut A Pompe-
jo, A milite; *Abs* iis fere, quæ incipiunt a litteris T, & Q, ut
Abs te, *Abs quolibet*. *Ter. Andr. 1. 5. 56.* & *Adelp. 2. 3. 1.* Ab
plerumque iis, quæ incipiunt a Vocali, aliquando tamen etiam
a consonante incipientibus, ut apud *Livium Ab re l. 1. c. 17.*
¶ A, & Ab cum verbis passivis significant *personam agentem*; ut
Eratosthenes a Serapione, & ab *Hipparcho* reprehenditur. *Cic.*
ad Attic. l. 2. epist. 6. ¶ Significant *remotionem* quoque, seu *va-*
cuatatem ab aliqua re; ut *vacatio a causis*, *Cic. 1. leg. c. 4.* ¶ Si-
gnificant aliquando *præter*, ut *Ab re*, *fuor di proposito*. *Sueton. in*
August. cap. 94. ¶ Item *per*, ut *Ab se* cantat cuja sit. i. e. *per*
se, sua sponte. *Plaut. in Rud. 2. 5. 21.* ¶ Cum adiunguntur ver-
bis *scio*, *sum*, *dico*, *facio*, *ago*, & similibus, idem significant, ac
favere: Italice *tener* *de parti di quacuno*, ut *stare a mendacio*.
Cic. l. 1. de invent. c. 3. Critolaus erat ab *Aristotele*. *Id. 2. de Orat.*
c. 38. ¶ Ponuntur etiam ad significandam *proximitatem*, & *di-*
stantiam locorum. *Cæsar B. G. l. 1. c. 49.* Passus sexcentos ab his
castris idoneum locum delegit. ¶ A, vel Ab pro eo, quod di-
cimus: *Quod pertinet ad*. *Cic. Attic. l. 7. ep. 15.* Sumus imparati
cum a militibus, tum a pecunia. ¶ Pro *circa*, vel *versus*. *Liv.*
45. c. 28. Duo maria ab occasu, & ortu Solis finitima *Isthmus*
arctis faucibus dirimit. ¶ Interdum *locum*, vel *personam*, apud
quam aliquid fit, significant. *Cæs. l. 2. B. Gall. c. 23.* Tota fere
a fronte, & a sinistra parte nudata sunt castra. ¶ Verbis juncta
interdum significant *causam per quam res efficitur*. *Cic. 1. Acad.*
c. 7. Ratio sempiterna est, nihil enim est valentius, a quo inte-
reat. h. e. *per quod*. ¶ Nonnunquam *causam designant propter*
quam res est. *Id. ib. l. 4. c. 33.* Mare quia nunc a Sole collu-
cet, albescit, & vibrat. i. e. *propter Solem*. ¶ Conjunctæ cum
nomine loci *incolam ejus loci* significant, & pro adjectivo ponun-
tur. *Liv. l. 1. c. 50.* Turnus ab *Aricia*. i. e. *Aricinus Civis*.
¶ Diversis præpositæ ablativis locutiones bonas, atque elegantes
efficere solent; ut a *puero*, a *pueritia*, ab *ineunte ætate*, ab *adoles-*
centia, a *pueris*, a *prima ætate*, a *teneris unguiculis*, & similia
apud *Cic.* passim, & apud alios. ¶ A principio, *sul principio*. *Cic.*
1. ep. 2. F. 2. c. 3. Hæc a principio tibi præcipiens. ¶ A primo
pro *primum*, vel *A principio*. *Cic. 11. ep. Att. 7.* Utinam a primo
ita tibi esset visum. ¶ Ab *unguiculo ad capillum summum* pro
re tota. *Plaut. in Epid. 5. 1. 17.* da capo a *pedi*. ¶ A *vertice ad*
talos idem significat. *Hor. l. 2. ep. 2. v. 4.* Talos a vertice pulcher

Tom. I.

ad imos. Sic dicimus: Ab imis unguibus usque ad verticem sum-
mum. *Cic. pro Rosc. Comæd. c. 7.* ¶ Sæpe ad tempus referuntur,
& significant *post*, vel incipiendo ab illo tempore. *Cic. Phil. 2. c.*
41. Ab hora tertia bibebatur, vomebatur, *sin dall' ora terza.*
Vellej. l. 2. c. 104. Protinus ab adoptione. *Cic. Ver. 6. c. 13.* Ab
illo tempore. *Liv. l. 44. c. 34.* Ab his præceptis concionem dimi-
sit Consul, *dopo questi precetti*. *Propert. l. 3. Eleg. ult. v. 26.* Sem-
per ab infidiis, *Cynthia*, flere soles. ¶ Item ad ordinem, &
significant *post* vel *apud*. *Hirt. de B. Alex. c. 66.* Secundus a rege.
h. e. primus post regem. *Cic. in Orat. c. 64.* Proximus a postremo.
h. e. postremo vicinus. *Plin. l. 17. c. 9.* Proximum est caprarum
stercus ab hoc ovium. *h. e.* post hoc. ¶ A *cura*. Italice, *Alla*
pensata, a *bella posta*. *Suet. in Tiber. c. 70.* Morositate nimia ob-
sturabat stilum, ut aliquando ex tempore, quam a cura præstan-
tior haberetur. ¶ Videntur etiam Veteres sæpe his præpositio-
nis fuisse usi, cum vellent circumloqui adjectiva. *Virgil. 2. Georg.*
v. 243. Dulcesque a fontibus undæ. i. e. *Fontanæ undæ*. *Mart.*
de spectac. ep. 18. Tigris ab *Hircano* gloria clara jugo. *h. e.* *Ti-*
gris Hircana. ¶ Aliquando videntur abundare; ut in illo *Ovid.*
2. Amor. eleg. 4. v. 30. Et tenerum molli torquet ab arte latus.
Propert. l. 3. el. 9. v. 24. Ne possent (currus) tacto stringere ab
axe latus. Adde *Tibull. l. 1. eleg. 5. v. 3.* Sic A peregre, pro pere-
gre. *Virruv. l. 5. c. 7.* ¶ Significant etiam *initium*. *Plin. in præm.*
l. 7. A supplicis vitam auspicatur animal ceteris imperaturum.
¶ Sunt elegantes & hæ locutiones; *Ab aliquo solvere*, *dare*, *nume-*
rare. *h. e.* de alicujus pecunia. *Cic. Att. l. 5. ep. ult.* Non modo
non reculare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere. Quod enim
Prætori dare consueverunt, quoniam ego non acceperam, se a me
quodammodo dare. *h. e.* quasi de meo, vel de mea pecunia. Sic
representare pecuniam ab aliquo. *Cic. Att. 12. ep. 25.* Suppeditare ab
aliquo. *Cic. contra Rull. 2. c. 13.* ¶ Elephanti nuper a silva. *Flor.*
l. 4. c. 2. h. e. recentes a silva. ¶ A *matre pulli*. *Colum. l. 8. c. 5.*
i. e. receter a nido accepti. ¶ A *se aliquid facere*. *h. e.* de suo.
Suet. in Aug. c. 40. Singula millia nummum a se dividebat. ¶ A
se aliquid facere, i. e. per se, & ex sua voluntate. *Cic. 1. de Orat.*
c. 24. Non ipse aliquid a me promississe, sed fortuito in vestrum
sermonem incidisse videar. *Id. 2. de Fin. c. 24.* Ipsum a se oritur, &
sua sponte nascitur. ¶ A me salutem dic *Ciceroni*. i. e. verbis
meis, seu nomine meo. *Cic. ad Att. l. 6. ep. 2.* Salvebis a meo *Ci-*
cero. ¶ Domicilium aliquando significant. *Terent. And. 4. 4.*
15. Unde est? dic clare. *My.* a vobis. i. e. a domo vestra. *Plant.*
Cistell. 4. 1. 6. Hæc Cistella numnam hinc ab nobis domo est?
¶ Aliquando conjunctionem. *Lucret. l. 4. v. 1161.* Ceres est ipsa
ab *Jaccho*. *h. e.* *Jacchi amica*. ¶ Cum certis nominibus adju-
guntur, quæ munera denotant, significant eum, qui præest alicui
cui mureri; ut a *Commentariis*. i. e. qui in Commentarium refert,
& veluti diarium conficit. *Ab Epistolis*. *h. e.* qui præest *Epistolis*,
& *Segretario*; Græcè *ὁ ἐπὶ τῶν ἐπιστολῶν*. A *rationibus*. *h. e.* qui
præest *rationibus*, *il Computista*. A *studiis*. *h. e.* qui præest *studiis*
alicujus, puta *Principis*, *l'ajutante di studio*. *Suet. in Claud. 28.*
Cic. 8. ep. ad Att. 5. Tacit. 15. Ann. 35. Suet. Ner. 49. & Vespas. 3.
¶ A *pedibus*, aut *servus a pedibus*, Italice *Lacchè*, o *Staffiere*. *Cic.*
8. ad Att. ep. 5. Servum a pedibus *Romam* misi. ¶ Sic a *manu*,
a *pugione*, a *libellis*, & similia, quæ passim apud *Scriptores* le-
guntur. Usurpantur autem fere cum genitivo. *Inscript. apud Gru-*
ter. p. 584. n. 2. *Alexio Cæsaris Augusti a bibliotheca*. Adde *pag.*
578. n. 1. & pag. 61. n. 4. Reperitur tamen etiam *dativus*. *Vopisc.*
in Carino cap. 18. *Claudius Eusthenius*, qui *Diocletiano* ab *epi-*
stolis fuit. *Senec. in Apocoloc. in fin.* *Menandro* liberto tradidit,
ut a cognitionibus ei esset. Hoc *Seneca* loco alii aliter legunt.
¶ Est elegans usus præpositionum A & Ab cum particulis usque
& prope. *Cic. in Vat. c. 8.* Quod *Augures* omnes usque a *Romulo*
decreverunt. Et *Plin. l. 15. c. 18.* Tam prope a muris habemus
hoitem. ¶ Legitur etiam ab ante sequente ablativo, in *Inscript.*
apud *Gruter. pag. 717. n. 11.* ¶ Hæc de significatione. Cum vero
alicui voci conjunguntur, separationem significant, & privatio-
nem. Neque tamen cum quibusvis litteris componuntur. Nam A
cum M & V consonante solum connectitur, ut *Amoveo*, *Amens*,
Avello. Ab cum A, D, E, F, I, L, N, O, R, U. Ut *Abator*,
Abduco, *Aberro*, *Abfore*, *Abjuro*, *Ablatio*, *Abnuo*, *Aborior*,
Abrogo, *Abundo*. ¶ Duo sunt ex Ab præpositione composita,
quæ euphonie gratia B mutant in U. *Aufero* videlicet, & *Au-*
fer

A

fer